

Initia reponendi in sequentibus Feriis, Initium Dominicæ ponitur in aliqua die antecedenti, et reliqua omittuntur; aliqui auctores tamen hanc anticipationem non admittunt.

Exemplum: Anno 1904, adveniente Dominica in Septuagesima in 31 Januarii, post Hebdomadam III post Epiphaniam, anticipari debet Dominica IV post Epiphaniam. Dies libera infra Hebdomadam III post Epiphaniam est FERIA 5, dies 28 Januarii, — omisso Festo S. Juliani, Episcopi et Confessoris, semiduplex ad libitum (cfr. Q. 115), et excluso Officio Votivo ad libitum (cfr. Q. 151, Nota III), — FERIA 5 igitur fit de Dominica IV post Epiphaniam (cfr. Q. 126). Hebdomada IV post Epiphaniam habet quatuor Initia Epistolarum S. Pauli: Dominica, Epistolæ ad Philippenses; FERIA 3, Epistolæ ad Colossenses; FERIA 5, Epistolæ I ad Thessalonicenses; Sabbato, Epistolæ II ad Thessalonicenses; FERIA 6, 29 Januarii, celebratur Festum S. Francisci Salesii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, qui habet Lectiones I Nocturni proprias seu de Comuni, scilicet *Sapientiam*; Sabbato, 30 Januarii, celebratur Festum semiduplex S. Martinæ, Virginis. Etiam si in Sabbato reponerentur tria Initia, remanet unum, pro quo ut sit locus, S. Franciscus Salesius cedit Lectiones *Sapientiam*. Ephemerides Liturgicæ, in suo Specimine Calendarii pro anno 1904, assignant FERIA 6, Festo S. Francisci Salesii, Lectiones Dominicæ IV, Initii Epistolæ ad Philippenses, et tria reliqua Initia reponunt in Sabbato (XVII, 1903, pag. 245); applicatur ergo ad præsentem casum Decretum supra ad 4^{um} citatum, et datum pro Dominica V Novembris. — Non omnes censent ita faciendum: aliqui conservant S. Franciscus Salesio suas Lectiones *Sapientiam*, et Sabbato præscribunt dicendas Lectiones tres Dominicæ IV post Epiphaniam, Initium et duas reliquas Lectiones Epistolæ ad Philippenses; et nihil aliud (Cfr. Ordo perpetuus et generalis Divini Officii, Editio Romana anni 1891, pag. 282.) — Desideratur authentica declaratio.

Sed si Dominicæ anticipatæ post Epiphaniam fit tantum Commemoratio in Festo quod Sabbato celebratur (cfr. Q. 125), tunc in primo Nocturno leguntur Lectiones Dominicæ anticipatæ; dummodo in hoc Sabbato non sit assignatum Initium alterius Epistolæ S. Pauli, quo casu, omisso Initio Dominicæ anticipatæ, legitur Initium hujus Sabbati.

Super quo ad dubium: « An, dum per solam Commemorationem anticipatur Officium alicujus Dominicæ post Epiphaniam in Sabbato ante Septuagesimam, qua occurrat Festum novem Lectionum, non habens Le-

ctiones primi Nocturni proprias vel de Comuni assignatas, legi debeant illæ de Sabbato occurrente; vel potius, istis omissis vel præcedenter lectis, si sint de Initio alicujus Epistolæ, legendum sit Epistolæ Divi Pauli Initium assignatum illi Dominicæ, cujus Officium per Commemorationem anticipatur? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Legendas esse Lectiones de Dominica anticipata, dummodo in eodem Sabbato non occurrat Initium alterius Epistolæ S. Pauli. » (Decret. 28 Martii 1775, n. 2503, ad 1, antiq. 4388, ad 10.)

Exemplum: Anno 1897, Officium Dominicæ VI post Epiphaniam debuit anticipari, et facta fuit tantum ejus Commemoratio in Sabbato Hebdomadæ V post Epiphaniam. Hoc Sabbato, in Officio Festi occurrentis, dictæ fuerunt in primo Nocturno, non Lectiones Dominicæ VI, Initium nempe Epistolæ ad Hebræos, sed Lectiones hujus Sabbati Hebdomadæ V post Epiphaniam, in quo legitur Initium Epistolæ ad Philemonem. — Idem factum fuit anno 1903, pro Initio Epistolæ II ad Thessalonicenses, legendo in Sabbato Hebdomadæ IV post Epiphaniam, in quo anticipata fuit per Commemorationem tantum Dominica V post Epiphaniam.

Omittitur etiam hoc Initium Dominicæ anticipatæ, si Festum Sabbato celebratum habet Lectiones, non de Scriptura occurrente, sed proprias.

Exemplum: Anno 1902, Officium Dominicæ III post Epiphaniam debuit anticipari, et ejus Commemoratio tantum facta fuit in Sabbato Hebdomadæ II post Epiphaniam, 23 Januarii, in quo Sabbato celebrabatur Festum Conversionis S. Pauli Apostoli; hoc Festum habet Lectiones I Nocturni proprias; istæ dictæ fuerunt, et nihil de Scriptura occurrente, etiam si alias dici debuisset Initium de Dominica III post Epiphaniam.

Q. 211. Quid notandum speciatim est de Lectionibus e Scriptura occurrente Dominicæ V Octobris?

R. Hac Dominica V Octobris, et sequentibus Feriis legitur e Libro secundo Machabæorum historia martyrii Eleazari, et septem Fratrum Machabæorum una cum matre sua interfectorum; ob celebritatem eorum martyrii non omittuntur istæ Lectiones, etsi mensis October forsitan quatuor tantum habeat Hebdomadas.

Etenim Rubrica specialis posita in FERIA V Hebdomadæ IV Octobris dicit, quod si Hebdomada IV fue-

366 (Q. 212) De Lectionibus in Matutino

rit ultima Octobris, tunc in hac Feria V, et duabus sequentibus Feriis leguntur Lectiones Dominicæ V, et Feria II et III ejusdem Hebdomadæ.

Servandus est in his Lectionibus ordo historiæ; ideo si Feria V fuerit impedita, tunc in Feria VI leguntur Lectiones Dominicæ, et Sabbato Lectiones Feriæ II; si Feriæ V et VI fuerint impeditæ, tunc Sabbato leguntur Lectiones Dominicæ. (Decreta S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1884, n. 3611, antiq. 5913, ad 1; et 17 Januarii 1887, n. 3667, antiq. 5975, ad 1.)

Si omnes dies fuerint impeditæ, eo anno omittuntur illæ Lectiones. Decrevit enim S. Rituum Congregatio quod istæ Lectiones nequeunt legi in Festis duplicibus Lectiones primi Nocturni proprias habentibus, vel de Communi assignatas; et quod leguntur in Hebdomada IV tantum si dies tres indicatæ sunt liberæ. (Decret. 9 Junii 1884, n. 3611, antiq. 5913, ad 1.)

Quando in Hebdomada V istæ Lectiones in suis propriis diebus legi non possunt, ponuntur in sequentibus Feriis ejusdem Hebdomadæ, ita ut ordo historiæ et martyrii omnino servetur.

Ex ordine in hac historia servando aliquando evenit, quod duplex ordo Lectionum primi Nocturni in Directorio, seu Cartabella sit proponendus, prout diebus liberis hujus Hebdomadæ dicta fuerint vel non Officia Votiva. (Cfr. Directorium in fine mensis Octobris.)

Q. 212. Quæ Lectiones recitantur in secundo Nocturno?

R. I. Si fit Officium de Sancto, tres Lectiones, quæ in Breviario notantur ordine IV, V et VI, leguntur de vita Sancti; quales sunt fere omnes Lectiones in Festis Sanctorum (cfr. dicta Q. 33); vel, si non describitur vita, leguntur de aliquo Sermone, aut Tractatu, qui Sancto convenit; ex. gr., in Festis S. Annæ, Matris B. Mariæ V., 26 Julii; et S. Joachim, Patris B. Mariæ V., Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V.; vel, si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum; ex gr., in Festo S. Georgii, Martyris, 23 Aprilis; et in Proprio Diocesis Mechliniensis, in Festo SS. Martyrum Japonensium, 19 Augusti.

Ex Communi Sanctorum etiam completur numerus

De Lectionibus in Matutino (Q. 213) 367

harum trium Lectionum, quando fit de aliquo Sancto, qui habet tantum unam, vel duas Lectiones proprias; ex. gr., in Festis Sanctorum Pontificum et Martyrum Soteris et Caji, 22 Aprilis; ac Cleti et Marcellini, 26 Aprilis.

II. Si fit de Dominica, vel de alio Officio novem Lectionum per annum, ex. gr., de plerisque Festis Mysteriorum D. N. J. C., et B. Mariæ Virginis, de Officiis Votivis, etc., leguntur tres Lectiones de Sermone, aut Tractatu, qui in illis ponitur, et leguntur cum titulo, et nomine auctoris.

III. Infra Octavam Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, aut alterius Festi quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habeantur propriæ et approbatæ Lectiones pro secundo Nocturno, infra Octavam, deficiente Octavario Romano, repetantur Lectiones positæ in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava; alioquin repetuntur Lectiones diei Festi.

Ita S. Rituum Congregatio rescripsit quod infra Octavas utriusque Cathedræ S. Petri, Romæ scilicet (18 Januarii) et Antiochiæ (22 Februarii), item infra Octavam Sacratissimi Rosarii B. M. V. (Dominica I Octobris), pro Lectionibus II Nocturni repeti debent Lectiones diei Festi. (Decret. 29 Decembris 1884, n. 3624, antiq. 5929, ad 3 et 5.)

In die Octava vero alicujus Sancti Lectiones II Nocturni, quæ non reperiuntur in Breviario, debent, deficiente Octavario, sumi de Festo et non de Communi. (Decret. 13 Decembris 1895, n. 3876, ad 9.)

(Cfr. Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 2; cfr. etiam pro Octavis, quæ dicta sunt Q. 145, de ordine harum Lectionum, et de usu Octavarii Romani.)

Q. 213. Quæ Lectiones dicuntur in tertio Nocturno?

R. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones, quæ in Breviario notantur ordine VII, VIII et IX, de Homilia in Evangelium, positæ in Proprio, aut ex Communi assignatæ; et primæ harum trium, seu septimæ Officii, semper præponitur principium Evangelii, de quo est Homilia; et Homiliæ præponitur titulus

auctoris, cujus est Homilia. (Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 10.)

Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum Matutina Tenebrarum ante Pascha, et Defunctorum, ut in suis Officiis ponitur.

Non raro ultima ex his Lectionibus tertii Nocturni, seu nona Lectio Officii novem Lectionum, locum cedit Lectioni quæ dicitur de alio Officio cujus fit Commemoratio, nempe de Homilia, vel de Sancto; de qua Lectione dicitur in Quæstione sequenti.

In hoc casu nona Lectio Officii novem Lectionum potest vel omitti, vel conjungi octavæ hujus Officii Lectioni; — convenientius jungitur huic octavæ Lectioni, nempe si laus propria alicujus Sancti in nona Lectione continetur, vel alio modo de ipso nominatim agitur; — debent aliquando conjungi istæ duæ Lectiones, nempe si sint historicæ (Decret. S. Rituum Congregationis, 8 Augusti 1835, n. 2735, antiq. 4767, ad 2); aut si in Rubrica speciali Breviarii ita notatur; ex. gr., in Festo S. Hilarii, Episcopi, Confessoris et Doctoris, 14 Januarii.

NOTA. Nonnumquam in Lectione septima vel octava appositum reperitur signum ¶, in iis nempe Festis vel Officiis quæ habent Lectiones de Homilia proprias, et in quibus nona Lectio dicenda occurrit de alio Sancto, aut de alia Homilia; fieri enim potest quod Festum vel Officium hujusmodi sit transferendum in aliam diem, in qua non occurrit Lectio nona propria dicenda; in quo casu, ne desit Lectio nona, una ex duabus, septima nempe vel octava, dividitur, ut ex duabus Lectionibus fiant tres, et signum ¶ indicat quomodo et ubi Lectio debeat dividi. Nemo tamen autumet liberum esse ab eo signo omittere partem Lectionis vel Lectionem.

Exempla: In Festo Inventionis S. Crucis, 3 Maji, nona Lectio dicitur de SS. Martyribus Alexandro ejusque sociis; pro casu translationis Festi Inventionis S. Crucis signum ¶ indicat ubi Lectio octava dividi debet ut de duabus tres fieri valeant, si in die translationis non occurrat Lectio nona.

Item in Festo S. Bedæ Venerabilis, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, 27 Maji, in quo nona Lectio occurrit dicenda de S. Joanne, Papa et Martyre, signum ¶ in Lectione septima positum indicat quomodo septima lectio dividi debet, ut ex ipsa dicantur septima et octava; et tunc Lectio octava dicitur pro

nona. Ita fieri debuit anno 1904, ubi Festum S. Bedæ translationem fuit de die 27 Maji in diem 17 Junii, in qua nulla Lectio pro nona occurrit dicenda, sive de Sancto, sive de Homilia.

Aliquando etiam describitur in uno vel altero Officio nona Lectio specialis, quæ est continuatio Homiliæ, et quæ præscribitur dicenda si Officium Festi transferri contigerit in diem in qua Lectio nona propria non occurrit: non dividitur tunc, ut supra, Lectio septima aut octava, sed integræ dicuntur ut in die Festi, addita Lectione quæ pro casu translationis ut nona describitur.

Exemplum: Festum S. Joachim, Patris B. Mariæ V., celebratur in Dominica infra Octavam Assumptionis ejusdem B. Mariæ V., in qua Lectio nona dicitur de Homilia Dominicæ; in Officio S. Joachim describitur nona Lectio, quæ est continuatio præcedentium septimæ et octavæ, pro casu quo Festum S. Joachim transferri contigerit infra hebdomadam, nulla occurrente Lectione nona propria.

NOTA. Nonnulli auctores æstimant, hanc Lectionem nonam etiam in Festo, die Dominica seu propria celebrato, esse conjungendam, aut saltem convenientius esse ut dicatur seu jungatur octavæ; æstimare licet ex Rubrica speciali hujus Lectionis non esse hanc Ecclesiæ mentem; etenim in casu potius fuisset describere totam Homiliam in duabus Lectionibus, appposito signo ¶ pro casu divisionis. In praxi non annotatur hæc conjunctio, nequidem ut convenientior, ut videre quotannis est in ipso Ordine Romano.

Q. 214. In quo casu legenda est nona Lectio de Homilia, vel de Sancto?

R. I. De Homilia legitur nona Lectio, præposito semper principio Evangelii de quo est Homilia:

1º Quando in aliquo Festo quocumque, etiam duplici 1 classis, de quo fit Officium, occurrit Dominica; — vel aliqua Feria quæ habet Homiliam; qualem habent Feriæ omnes Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Feria 2 Rogationum; et tunc pro nona Lectione legitur prima tantum Lectio de hac Homilia, vel, si placet, tres Lectiones simul in unam conjunctæ dicuntur. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 9.)

Exempla habentur in Directorio, in omnibus Dominicis et Feriis hujusmodi, in quibus celebrantur Festa, vel dicuntur Officia novem Lectionum.

2° Quando in Vigilia occurrit Festum novem Lectionum, vel Octava, tunc in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ; exceptis tamen sequentibus Officiis:

a) si in Vigilia occurrit Festum duplex 1 classis, veluti si in Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistæ venerit Festum SS. Corporis Christi, nihil tunc prorsus, nec Commemoratio fit de Vigilia; præterquam in Vigilia Epiphaniæ.

b) Quando aliqua Vigilia venerit in aliqua ex Feriis majoribus, scilicet in Adventu, in Quadragesima, in Quatuor Temporibus, nulla in his Feriis de Vigilia fit Commemoratio in Officio. (Rubricæ generales, Tit. VI, nn. 1 et 2.)

NOTA. Fieri potest quod Evangelium Festi idem sit ac Evangelium Dominicæ, Feriæ aut Vigiliæ, in tali casu non legitur nona Lectio, et in Missa dicitur in fine Evangelium S. Joannis *In principio*.

Exemplum: In Festo, et per Octavam, et in die Octava Immaculatæ Conceptionis legitur Evangelium *Missus est etc.*, non quidem totum sicut in aliis Festis aut Officiis B. Mariæ V., ex. gr., in Festo Annuntiationis, sed pro exigua parte tantum, continet enim solam Angeli salutationem; idem Evangelium *Missus est* legitur totum in Feria IV Quatuor Temporum Adventus; hæc Feria vero venit aliquando (nempe quando Littera Dominicalis est C, ex. gr., anno 1897) in die Octava Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V.; ad dubium hac super re propositum S. Rituum Congregatio respondit in casu omitti Evangelium Feriæ, et consequenter non legitur nona Lectio de hac Feria. (Decret. 16 Septembris 1865, n. 3136, antiq. 5350.)

Festum Expectationis Partus B. Mariæ V., quod in nostra Diocesi celebratur 18 Decembris, habet Evangelium *Missus est*; fieri potest etiam quod Feria IV Quatuor Temporum veniat in hoc Festo (nempe quando Littera Dominicalis est F, ex. gr., anno 1901); in casu vero non applicatur solutio Decreti supra citati, sed Rubrica specialis hujus Festi præscribit ut loco Homiliæ in Evangelium Festi legantur tres Lectiones Homiliæ Feriæ IV Quatuor Temporum, cum Responsoriis Festi. Hæc Rubrica est omnino particularis, et exceptio ad regulam.

II. De Sancto legitur nona Lectio, si in Officio novem Lectionum fit ejus Commemoratio, modo Sanctus habeat propriam Lectionem historicam, vel de Sermone isti Sancto proprio.

Notat Rubrica generalis (Tit. IX, n. 10), quod hujusmodi nona Lectio non dicitur de Octava, quando in die infra Octavam, vel in die Octava fit de alio Officio, in quo tamen fit Octavæ Commemoratio, quia Evangelium Octavæ jam fuit lectum in ipso Festo, et repetitur quoties fit Officium de Octava.

Si Sanctus habuerit duas Lectiones hujusmodi proprias, debet ex duabus fieri una pro nona Lectione.

Item de Festo duplici aut semiduplici, si fiat tamquam Simplex, legitur nona Lectio composita per modum unius ex omnibus Sancti Lectionibus historicis secundi Nocturni. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 10.)

Si plures fiant Commemorationes de Sanctis in Officio novem Lectionum, et, ex. gr., duo diversi Sancti habeant suam Lectionem, vel suas Lectiones, ut supra, legitur tantum nona Lectio Sancti dignioris vel ritu, vel qualitate, et omittitur altera. (Ibidem, Tit. XXVI, n. 3.)

Dicitur quod hæc nona Lectio legitur de Sancto, si habeat Lectiones proprias historicas, seu de ejus vita, aut de Sermone in quo fit ejus propria laus; nam si in ejus Officio Lectiones sumuntur de Communi, omittuntur pro nona Lectione. Similiter si una Lectio tantum de tribus est historica, aut duæ tantum sunt historicæ, sumptis reliquis de Communi aut de Sermone, pro nona Lectione dicitur tantum Lectio historica, aut dicuntur duæ Lectiones historicæ conjunctæ, omissis aliis.

Exempla: Die 14 Februarii, celebratur Festum simplex S. Valentini, Presbyteri et Martyris; habet Lectionem unam, sed sumitur de Communi: occurrente jam hac die in Calendario Diocesis Mechliniensis Festo duplici S. Cyrilli, Episcopi Alexandrini, fit quidem Commemoratio S. Valentini in primis Vesperis et in Laudibus, sed omittitur de eo nona Lectio.

Similiter S. Georgius, Martyr, cujus Festum celebratur 23 Aprilis, ritu semiduplici, habet in secundo Nocturno tres Lectiones desumptas e Communi unius Martyris; si ratione Occurrentiæ cum Officio potiori de eo fit tamquam Simplex, dicitur quidem ejus Commemoratio in Vesperis et in Laudibus, si Officium eam admittit, sed in casu non leguntur ejus Lectiones pro nona Lectione.

Ob eandem rationem, si Festum SS. Soteris et Caji, Pontificum et Martyrum, 22 Aprilis, fit tamquam Simplex, leguntur

372 (Q. 214) De Lectionibus in Matutino

pro nona Lectione in Officio occurrente Lectiones IV et V eorum historiae, in unam compositae, sed Lectio VI e Communi desumpta, his non conjungitur, et omittitur.

Die 1 Augusti, in Festo S. Petri ad Vincula, dicitur nona Lectio SS. Machabæorum, Martyrum, et die 23 Novembris, in Festo S. Clementis, Papæ et Martyris, dicitur nona Lectio S. Felicitatis, Martyris; istæ Lectiones quidem non sunt historicæ, sed sunt de Sermone istis Sanctis proprio, in quo propria laus de his Sanctis edicitur, et hujusmodi Lectiones æquiparantur Lectionibus historicis.

NOTA. I. In quibusdam Officiis Sanctorum qui simul celebrantur, describuntur quidem tres Lectiones in secundo Nocturno de eorum vita, sed una Lectio describit vitam aut res gestas unius Sancti, alteræ vero alterius Sancti; ex. gr., in Festo SS. Fabiani et Sebastiani, Martyrum (20 Januarii), Lectio IV est exclusive de S. Fabiano, Lectiones V et VI sunt exclusive de S. Sebastiano; item in Festo SS. Cornelii et Cypriani, Pontificum et Martyrum (16 Septembris), Lectiones IV et V sunt de S. Cornelio Papa, facta in Lectione IV aliqua mentione S. Cypriani, Lectio VI vero est de solo S. Cypriano, præposito quidem Lectioni Titulo de Libro S. Hieronymi unde desumitur; sunt tamen tres historicæ; et si nona Lectio foret dicenda de his Sanctis, ex tribus per modum unius, interposito etiam Titulo Libri S. Hieronymi pro S. Cypriano, dici debent juxta Rubricam citatam.

In Festo Inventionis S. Stephani, Protomartyris (3 Augusti), Lectiones IV et V narrant et absolvunt historiam Inventionis, sexta vero ad complementum addita, refert eventum prodigiorum in Translatione Reliquiarum S. Stephani a S. Augustino narratum in libro de Civitate Dei; censent Ephemerides Liturgicæ duas Lectiones IV et V tantum esse revera historicas, quas respicit Rubricæ præceptum, sextam vero omitti posse in casu conjunctionis. (XV, 1901, pag. 17.)

NOTA. II. In Dominica in Albis si occurrat Festum simplex, aut Festum duplex vel semiduplex ad ritum simplicem redactum, de eo dicenda est nona Lectio. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. XXVI, dub. 3, antiq. 7.)

Item, quando in Vigilia Pentecostes occurrit Officium

De Lectionibus in Matutino (Q. 215) 373

Sancti ad instar Simplicis redigendum, legi debet ejus nona Lectio, si sit historica, ad Matutinum, uti ante reformationem Rubricarum faciendum erat. (Decret. 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 8.)

Q. 215. *In quibus casibus omittitur historica Lectio de Sancto?*

R. 1º Quando de Sancto fit Commemoratio in illis Dominicis, in quarum Officio post nonam Lectionem non dicitur Hymnus *Te Deum*, sed nonum Responsorium; quales sunt Dominicæ Adventus, et Dominicæ a Septuagesima usque ad Dominicam in Palmis inclusive (cfr. Q. 41, III, et infra Q. 217); omittitur nona Lectio de Sancto, quia nonum hoc Responsorium convenit Lectioni IX, quæ dicitur de Homilia, et incongrue conjungeretur Lectioni de Sancto.

Exemplum: Anno 1904, 11 Decembris, Festum semiduplex S. Damasi, Papæ et Confessoris, occurrit in Dominicam III Adventus, et de eo fit tamquam Simplex; dicitur ejus Commemoratio in Vesperis et in Laudibus, sed omittitur nona Lectio de ejus vita.

2º In quocumque Officio trium Lectionum, ex. gr., in aliqua ex Feriis majoribus, item infra Octavas Paschatis et Pentecostes, omittitur Lectio de Sancto.

Exemplum: Festum duplex S. Walburgis, Virginis, quod in Dicecesi Mechliniensi celebratur 25 Februarii, anno 1903 occurrit in Feriam IV Cinerum; redactum ad instar Simplicis, habuit Commemorationem in Vesperis et in Laudibus, sed omisa fuit Lectio de ejus vita.

3º Quando in aliquo Festo novem Lectionum nona Lectio dicenda est de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, vel Vigiliæ, hæc Homilia semper præfertur Lectioni de Sancto.

Exemplum: Die 6 Augusti, celebratur Festum duplex majus Transfigurationis Domini, in quo regulariter dicitur nona Lectio, et fit Commemoratio Festi simplicis SS. Martyrum Xysti et Sociorum; anno 1905, dies 6 Augusti est Dominica; legitur nona Lectio Homiliæ Dominicæ, et de SS. Martyribus fit tantum Commemoratio in Vesperis primis et in Laudibus.

374 (Q. 216) De Lectionibus in Matutino

4° Infra Octavam SS. Corporis Christi, quando fit Officium de die infra Octavam, vel de Dominica infra eandem, vel de die Octava, omittitur nona Lectio de Sancto, etiam de Festo semiduplici aut duplici ad simplicem ritum redacto; non vero si infra Octavam celebratur aliquod Festum in quo occurrit Festum simplex. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 10; Rubricæ speciales Festi SS. Corporis Christi; Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Aprilis 1705, n. 2152, antiq. 3718, ad 7.)

Exempla: Anno 1898, 10 Junii, FERIA VI infra Octavam SS. Corporis Christi, omittitur in Officio de die infra Octavam nona Lectio S. Margaritæ, Viduæ, cujus Festum semiduplex redactum fuit ad instar Simplicis; item 16 Junii, in die Octava, omittitur nona Lectio de occurrente Festo duplici S. Lutgardis, Virginis.

Anno 1903, 12 Junii, FERIA VI infra Octavam SS. Corporis Christi, celebratur Festum S. Joannis a S. Facundo, Confessoris, duplex, in cujus Officio legitur nona Lectio SS. Basilidis et Sociorum, Martyrum, quia Officium non est de die infra Octavam.

5° In Festo duplici 1 classis, in quo omnis occurrentis Festi prohibetur Commemoratio, omittitur consequenter etiam nona Lectio. In Festo duplici 2 classis, admittitur nona Lectio tam Festi simplicis, quam Festi ad instar Simplicis redacti.

Q. 216. *Quid notandum est de Lectionibus in Officio trium Lectionum?*

R. I. Tres Lectiones tantum, seu unum Nocturnum habent Festa simplicia Sanctorum; item FERIA; necnon Vigiliæ, exceptis Vigiliis Epiphaniæ et Pentecostes.

Ob rationem naturalem, nempe propter functiones quæ per totam ferme noctem Sabbati præcedentis olim peragebantur, necnon mysticam, Festa Paschatis et Pentecostes habent tantum unum Nocturnum. (Cfr. A. Carpo, *Bibliotheca liturgica*, Pars III, n. 160.) Infra Octavas horum Festorum continuatur Matutinum sicut in ipso Festo dictum fuit.

II. In Officio de FERIA, tres Lectiones leguntur de Scriptura occurrente, nisi tres sint de Homilia, quia tunc, omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. — In Officio de Vigilia tres Lectiones leguntur

De Responsoriis (Q. 217) 375

de Homilia in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur.

III. Si fit de Sancto qui habet duas Lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una; secunda et tertia de Sancto. Si Sanctus unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de Sancto.

IV. Si in Officio trium Lectionum facienda est Commemoratio Festi simplicis, vel Festi ad instar Simplicis redacti, semper omittitur ejus Lectio in Matutino, ut dictum jam fuit in Quæstione præcedenti.

§ 4. De Responsoriis

Q. 217. *Quid notandum est de Responsoriis post Lectiones ad Matutinum?*

R. I. In Festis novem Lectionum (præterquam in Festo SS. Innocentium, 28 Decembris, quando non venerit in Dominica); et in Dominicis per annum ab Octava Paschæ inclusive usque ad Adventum exclusive, et a Dominica infra Octavam Nativitatis Domini inclusive usque ad Septuagesimam exclusive, ergo in Dominicis omnibus præterquam in Adventu, et a Septuagesima usque ad Dominicam in Palmis inclusive, dicuntur octo Responsoria, id est, unum post quamlibet ex octo primis Lectionibus, et post nonam Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum*.

In Festis trium Lectionum ritus simplicis, et in Feriis Temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis et Ascensionem (excepta FERIA II Rogationum), item in Festis Paschatis et Pentecostes, et infra Octavas eorum usque ad Sabbatum inclusive, dicuntur duo Responsoria, et post tertiam Lectionem dicitur Hymnus *Te Deum*.

II. In Festo SS. Innocentium, quando venit infra Hebdomadam; item in Dominicis Adventus, et a Dominica Septuagesimæ usque ad Dominicam in Palmis inclusive; in Triduo sacro majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum, dicuntur novem Responsoria.

In FERIA secunda Rogationum, et in Feriis omnibus extra Tempus Paschale, dicuntur tria Responsoria.